



**Ethica Amoris, Sive Theologia Sanctorum, Magni  
Præsertim Augustini, Et Thomæ Aquinatis**

Circa Universam Amoris & Morum Doctrinam, Adversus Novitias Opiniones  
Strenuè propugnata, Et In Materiis Principaliter Hodie Controversis  
Fundamentaliter discussa

De Externis Regulis Amoris Et Morum, Legibus Utique, ac Praeceptis  
Virtutum Theologicarum, & Cardinalium, necnon Decalogi & Ecclesiae -  
Libros Vndecim Complectens

**Henricus, de Sancto Ignatio  
Leodii, 1709**

Caput V. Explicantur requisita ad sanctificationem Sabbathi, seu diei  
Dominici, vel Festivi.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73203](#)

23 Divinae ultiōnis ( de qua loquitur ibi sanctus Pontifex ) exempla profect Concilium Parisiense VI. anni 829. can. 50. Postquam enim mercatus , placita , & ruralia quaque opera , necnon qualibet carriagiones seu venturas diebus Dominicis fieri prohibuit , adit : *Multi nostrorum visu , multi etiam quorundam relatu didicimus , quosdam in hac die ruralia opera exercentes fulmine interemptos , quosdam artuum contractione multatissimi , quosdam etiam visibili igne corporibus ossibusque simul sub momento absumptis , in cinerem subito resolutos , paenitentia occubuisse . Et multa alia terribilia iudicia extiterunt , & hactenus existunt , quibus declaratur , quod Deus in tanti diei dehonoratione offendatur .*

## C A P U T IV.

*Pietas tamen , & justa necessitas , servilia opera festis diebus aliquando permitiunt .*

24 **C**onstat 1°. ex Evangelio , in quo Christus excusat discipulos , sabbathio spicas vellentes , Matth. 12.

2°. ex Concilio Narbonensi anni 589. can. 4. die Dominico operas fieri vetante , excepto , si necessitas incubuerit . Necnon ex Concilio Coyacensi in Hispania ( anni 1050. ) can. 6. Christiani Dominicā servile opus non exerceant , nec secentur itinera , nisi orationis causā , aut sepeliendo mortuos , aut pro Regis secreto , pro Saraceno um impetu .

25 3°. ex cap. conquestus de feriis , ubi judicialis strepitus diebus festis prohibetur , nisi necessitas urgeat , vel pietas suadeat . Cumque Nicolaus V. anno 1447. à Transilvanis interrogatus fuisset , an pauperibus villanis , ac oppidanis licitum sit vendere , die Dominico , vel festo alicuius Sancti , panes , pyra , poma & alia legumina , vel sit licitum eis , finita Missa , post prandium , de campo , tempore missis , cum timeatur de pluvia , portare cum pecoribus , vel equis , vel curribus , linum , fænum , & alia blada , humano usui convenientia ? Respondit : cessante necessitate , ab omni opere serviū abstinentiam esse diebus Dominicis & festis ; sed necessitate cogente , non tamen afflata , sed procurata , licitum esse præmissa exercere .

26 4°. ex S. Antonino p. II. tit. 9 c. 7. §. 5. ubi posteaquam dixit , quod diebus festis videre ratiocinia , & facere computum prolixum , illicitum est . Quodque ad opus servile spectat , cum equis , asinis , vel bovis deferre blada , vel vina , vel ligna , vel me-cimonia , nisi necessitas urgeat . Item , abstinendum ab itinere dietario , nisi necessitas cogat , vel aliud ipsum opus inducat , &c. Post hæc ( inquam ) varia recenset opera , quæ diebus festis a mortali necessitate excusat .

27 Primo ( inquit ) pro conservando personas vel res suas , puto , faciendo foreas , vel machinas , vel huiusmodi ; vel portando res suas ad loca secura imminentे bello ; vel portando necessaria ad defensionem , &c.

Item , si jacentibus segetibus in agro , vel

fœni in pratis , vel uvis in vineis , imminet tempestas , vel aliud periculum amissione illarum rerum , liceret talia colligere . Item , de alia re que destruitur , si in die festo circa eam manualiter non operatur , ut extensis lana ad radios solis , cum hieme apparent , vel prosecutio succensionis fornaciis , ad calcem aut lateres coquendos , aut vitrea uasa conflanda . Item , carnifices , sive lanii , & pincerna preparantes , virtuallia in festis , ut sequenti die vendant , si non poterant prius preparari , vel preparata conservari , videatur excusari à mortali . Item , vectores mercium , aut alimentorum , aut personarum ad loca remota , cum alias non possint sine gravi incommode vitam transfigere , creduntur excusari , si differre non posse .

Item , qui compelluntur à dominis iusto motu ad laborandum in diebus festis in agris suis , vel deferendum ligna vel lapides , vel faciendum adficia vel foreas , & huiusmodi , que si non facerent , notabiliter damnificarentur in persona , vel rebus , videntur posse excusari propter necessitatem . Melius tamen facerent non obdure , quando opus illud non est necessarium . Et quia modicus recessus à medio non tollit bonum virtutis : ideo quod aliquis in horto , aliquid faciat parvum , ut obturando sepiem , vel elevando malas herbas , vel suendo aliqua panitia vestis diffusa , vel calige , & huiusmodi , non judicatur violator festi .

Barbitonores , non in radendo , sed in minuendo sanguinem , & ferrare , & huiusmodi , si in Festis exercent artem suam principaliiter propter necessitatem eorum quibus servitum , non propter cupiditatem lucri , excusantur . Et similiter qui eos requirunt de arte sua , si alias non poterant sibi commode providere , excusantur .

Item , in molendinis ad aquam , vel ad ventum , quæ sine magna opere hominis exerceantur , potest servari confuetudo patria non prohibita à Prelatis . Secundus de molendinis cum jumentis : & hoc nisi necessitas urget propter virtuallia necessaria : quia tunc licet .

Item , diebus festis , non tamen Dominicis vel solemnioribus , licitum videatur laborare pro pauperibus ; cum his tamen conditionibus adjunctis : Primo , ut non dimittantur divina , id est , auditio Missæ . Secundo , quod fiat elemosynaliter , non propter lucrum . Tertio , quod illi , pro quibus laboratur , indigeant .

Item , à fortiori videatur licitum cuilibet laborare pro sustentatione sui & familia sua , quando alter sustentari non valer : ita tamen quod non dimittantur divina . Nec enim observatio festi est in tanta exactitudine , ut in veteri Testamento . Et erit bona cautela ut hoc fiat cum dispensatione Episcopi . Hæc S. Antoninus .

## C A P U T V.

Explicantur requista ad sanctificationem sabbathi , seu diei Dominicī , vel festi .

Eror esset putare , quod sabbathi sanctificatio nihil aliud à Christianis exigeret , ni-

Si cessationem ab operibus terribilibus. Non enim Deo placet otium, quod à S. Bernardo dicitur *mors anima, vivi hominis sepulta, sentina omniam malorum*. A S. Hieronymo, *omnis concupiscentia, & immunditia, arque peccati mater*. Unde Augustinus epist. 119. c. 17. Judæos explodit quod contenti essent tali sanctificatione sabbathi.

Nec eorum probanda est opinio, qui cum Azorio, Suarez, Layman, & aliis Recentioribus, dicunt p̄ceptum de sanctificando sabbatho, sive de colendo Deum die festo, quatenus affirmativum est, non obligare ad exercendum intra illum diem alium actum divini cultus, præter auditionem Missæ. Neque enim dies festivus propriè sanctificari dicitur ab eo, qui medium tantum horæ partem impedit in cultu Dei, per auditionem Sacri. Si enim dici nequeat sanctè vixisse, cuius nonnisi modicissima pars vita, absque perseverantia, sancta fuit; quonodò dici potest diem Dominicum vel festivum sanctificasse, qui nonnisi modicissimam illius partem in Dei cultu, reliquam vero in popinis, vel certè in lusibus, & vanis recreationibus, aut rebus profanis impedit? Ad hoc ergo ut Christianus, propriè & simpliciter loquendo, dici possit diem Dominicum sanctificare, necesse est ut magnam illius partem in sanctis exercitiis impendat; quemadmodum ad hoc ut simpliciter & propriè dici queat sanctificare vitam suam, necesse est ut saltem magnam vitæ partem in operibus sanctitatis tranfigat.

Istamque esse Ecclesia mentem, probatur imputinis per omnes illas SS. Partum sententias, & Conciliorum Canones, quibus non solum culpatur omissione Sacri, sed & culpanatur & prohibent ea quae Dominicis ac festis mentem distrahant à Dei cultu & veneracione, salutationes, metationes, fontes strepitus, &c. Nec pro ratione prohibendi allegatur quod Missæ impediunt auditionem, sed quod à divino cultu distrahant & tetrahant mentem. Enimvero si solum prohibentur, quatenus impediunt Missæ auditionem, non prohibentur tota die, nec post auditionem Missæ, sed vel ante illam, vel tempore illius dumtaxat. Non sic autem loquuntur Canones, nec sancti Patres: Dominico die (ait Nicolaus I. in respons. ad Consulta Bulgorum c. 10. & 11.) à labore terreno cessandum, atque omni modo orationibus infestandum. Ideò vero à labore terreno cessandum esse dicit: ut liberius ad Ecclesiam ire, Psalmis & Hymnis, & Cantis spiritualibus infondere, orationi vacare, oblationes offerre, memoris Sanctorum communicare.... eloquis divinis intendere, eleemosynas indigenibus ministrare valeat Christianus. Qui omnia si quis negligens, orationi tantum vacare voluerit, & ad ceteras mundi vanitates lucios labores converterit, melius ei fuerat ipsa die laborare manibus suis, ut haberet unde tribueret necessitatem patientibus. Constitutum est Christianis (ait Augustinus serm. 25.) &

Tom. II.

mandatum, ut in solemnitatibus Sanctorum, & maximè in Dominicis diebus (non addit matutino tempore, vel ante auditionem Missæ) orium haberent, & à terreno negotio vacarent ut paratores essent ad divinum cultum, cum non haberent quod eos inde retardaret incommodum, relinquerentque ex tempore terrenam sollicitudinem, quod facilius posset Deus intendere voluntatem.

Deinde probatur ex can. jejunia de consecrat. dist. 1. ibi: *Die Dominicâ nihil aliud agendum est, nisi Deo vacandum: nulla operatio in illa die sancta agatur, nisi tantum Hymnis, & Psalmis, & Cantis spiritualibus dies illa transfigatur.*

Tertio, ex Concilio Turonensi sub Carolo Magno c. 40. Oportet omnes Christianos, in his diebus, à servili opere cessare, & in laude Dei, & gratiarum actione ad vesperam usque perseverare.

Quarto, ex Concilio Aquensis anni 1585. tit. de festo. dierum cultu: *Doceantur populi.... ut festos dies, qui Dei cultui dicatis sunt, in divinis Officiis, concionibus audiendis, nacnon in orationibus, maximisque ac continuis Dei erga nos beneficiis recolendis, sanctè ac pie transfigant; præterim, ut prater Missam, qua sine gravissimi peccati culpa prætermitti non potest; prater Vesperas item, quibus fidelem quenque, nisi impeditum, interessè maximè convenit, in doctrina christiana rudimentis omnes, tam maras, quam feminas, tam viri, quam pueri, vel perdiscendis, si illa ignorent, vel aliis peradendas versentur.*

Quinto, ex Concilio Avenionensi 1594. cap. 43. *Doceant Parochi, catericique verbi Dei Precones, diebus festis, Dei cultui dedicatis, divinis Officiis, concionibusque audiendis, certisque id genus piis operibus vacandum esse; nec Missam à quocumque, hanc legitimè impedito, sine gravi flagitio prætermitti posse.*

Sexto, ex Concilio Remensis anni 1583. tit. 35 de dieb. fest. ubi populo præcipit Dominicis & Festis, Missa, Concionis & Vesperis interesse.

Septimo, ex Concilio Burdigalensi ejusdem anni: *Diebus festis.... sacris omnibus Ecclesia ministeriis, & divini verbi predicatione, quantum fieri possit, ex animo & religione intersint; nec pietatis opera iidem prætermittant, in pauperibus reficiendis, afflictis consolando, aliisque piis rebus gerendis, in quibus christiana professio & charitas maximè eluceant. Similia habent Concilium Turonense ejusdem anni cap. 11. Bituricense anni 1584. tit. 6, can. 4. Narbonense anni 1609. c. 9. Aquileiense anni 1596. can. 14. ubi sic: Tempus dies festi in audiendis Concionibus, Missa Sacro, & divinis Officiis ponendum est; non in comeditionibus. Multo minus peracto prandio ad salutationes & lusus declinandum; cum sit in Ecclesiis ad Horas Vespertinas audiendas divertendum, & nomen Dei concorditer & devote, vel silenti meditatione, vel vocis exultatione lassitudinum. Quod curabant Episcopi Curatorum*

92

diligentia populi inculcari.

[37] Octavio, ex Concilio Mediolanensi III. in quo tit. de fest. dier. cult. S. Carolus Borromaeus sic loquitur: „Ut vero ii dies omni pietate & religione colantur, haec crebro possum pulum Parochi & Concionatores admoneantur.... ut illorum dierum tempus, quod Deo ejusque cultui debetur, in iis actionibus totum consumant, in quibus sancte consumuntur dum est. Ut concionem manent, & sacram letationem a prandio, ubi explicari solet, audiunt. Ut divinis, Vesperatum praesertim Oficium presentes, pie religiosaque adsint. Ut in christiana doctrina rudimentis, ac praepartitionis, vel percipiendis, vel recolendis versentur. Ut in operibus etiam officiisque pietatis se exerceant, agros homines visitando, morientes pie consolando, & alia ejusmodi praestando. Ut denique ab illis actionibus, unde omnis peccandi materia atque occasio existit, feriati, in ea opera incumbant, ob quae sunt illi sancti dies instituti.

[38] Nono, ex Catechismo Romano p. III. n. 7. ubi explicans verbum istud tertius pracepti, sanctificare eum, „hoc verbo (inquit) ostenditur sabbathi diem religiosum esse, divinitusque actionibus, ac sanctis terum officiis consecratum. „Numero vero 21. explicans quibus in operibus dies ille transfigendus sit, illa esse dicit, ut „ad Dei Templum accedamus, coequo loco piâ sincerâque animi attentione sacrolancto Missâ Sacrificio intersimus, divina Ecclesia Sacraenta.... crebro adhibemus.... peccata Sacerdotibus Christiani sapientie confiteantur.... sacrolanctum Eucharistie Sacramentum crebro percipiant. Attentem præterea diligenterque sacra concio fidelibus audienda est.... exercitatio item fidelium, studiumque in precibus, divinisque laudibus frequentans esse debet; præcipuaque eorumdem cura, ut quae ad christianâ vita institutionem pertinent, ea diligenter addiscant; seduloque se exerceant in eis officiis, quae pietatem continent, pauperibus & egenis eleemosynam tribuendo, agros homines visitando, quiique dolore afflitti jacent, pie consolando, &c.

[39] Decimo, ex S. Antonino p. II. tit. 9. c. 7. §. 4. dicente: „Debet ergo die festo insisti operibus spiritualibus orationis, meditationis, auditionis divinorum, lectionis, & eleemosynis, & aliis ejusmodi. Et inter certa debent homines vacare compunctioni & confessioni peccatorum suorum, recognitando quae egerunt aliis diebus, in quibus fuerunt occupati. Dicitur enim Levit. 16. Sabbathum requietionis est: affligitis animas vestras, scilicet per contritionem, secundum Origenem. Item auditioni Missâ, & divinorum Officiorum, & prædicationum.... Item insisti debet magis in eleemosynis.... Sed quis est hic, qui ita celebrat festa, vacando divinis, & laudabimur eum, cum invenerimus? Non ne tota occupatio hominum in Festis est circa corpus?.... Mulieres non parum tempo-

ris exponunt in se ornando ad capiendas amitas; famuli & famulae ad præparandum cibos accurati solito; mercatores ad facientes suos compertos, & ratiocinias... inferiores conditionis homines ad audiendum de Latinis, vel spectacula vana.... Et quod cum multo labore per hebdomadam lucrati sunt, in Festis, in tabernis & ludis, non in eleemosynis expendunt. O abuso perversi hominum, & jactura temporis irreparabilis, & negotium gratissimum dæmoni! Apote de his dixit Hieremias Thren. I: Viderunt eam hostes, id est dæmones.... & deriserunt sabbatha ejus, id est festa, quia scilicet non Deo, sed sibi vacant, ventri, & dæmoni.

Addit tamen S. Antoninus, quod abstineret quidem ab operibus servilibus, & Missam audire, est in pracepto obligante sub mortali; non tamen vacare Deo pro majori parte diei. Tamen, inquit, non sic vacare, peccatum est. Quia non est sanctificare dies festos, ut præceptum est; sed sanctificare unam dimitata horam, vel medium, reliquum sanctorum dierum illorum tempus nihil ab aliis diebus secernendo, nisi quod à labore servi cestetur, à quo, juxta Augustinum, melius non abstinerent, quam reliquum diem in popinis, ludis, salutationibus, &c. transigerent. Revera enim ethnicum est, non christianum, hoc solum inter dies festos & profanos distinximus ponere, quod quis somnum in clariorem producat lucem, splendidius vestiatur, laetus epuletur, dimidiisque horâ in auditione Missæ impensâ, reliquum diem otio, ludis, vanitatibus, ventri, potationibus impendat. Et quid inde consequitur? Hoc quod D. Antoninus deplorat ibidem §. 3. O miseranda caccia Christianorum, quia plura peccata faciunt, & graviora, in diebus festis. Aliis diebus laborare ut possint vivere; diebus festis, quando deberent laborare pro anima, & Deo vacare, implicant se in multis vitiis.

Atque hinc appetat, quod abusus quietis corporalis diebus Dominicis & festis, plurimi Christianis proxima sit occasio peccati mortalis. Tum ob neglectam norabilitatem curam salutis, dum maiorem festorum partem sic transigunt. Tum ob neglectum Deiculum. Tum ob plurima peccata mortalia, quae ut plurimum committunt, qui quiete illa abutuntur ad indulgendum voluntati, non ad liberi vacandum divino cultui.

#### CAPUT VI.

Graviter peccant (salem in linea peccati veniali) Christiani, qui cum peccati mortali affectu, sive eo non deposito, Missam Dominicis & festis diebus audiunt.

**C**hristianos teneri diebus Dominicis ac festis Missam audire, constat ex dictis, fuisque probabitur Deo dante to. 3. dum de sacro sancto Missâ Sacrificio tractabimus, ubi certa huic spectantia deducemus. Sed